

Vossig de tribus Symbolis.

Calixti Praeemium in Augustini libros 4 de doctrina Christiana et Vincentij commentationem.

Oratio panagyrica.

Disputat. de Paulis.

de Baptismo et Eucharistia

de Sacro Santa Domini coena.

de statu animarum separatarum et.

Decem in Jho. Arianos.

Programma. Jho. Neubisium.

~~de~~ ~~de~~ ~~de~~

Apologia Jho. Bugserum.

17.
DISPUTATIONVM THEOLOGICARVM
VNDECIMA,
De
COENA DOMINI.

CVIVS THESES
AVSPICE DEO OPT. MAX.

SVB PRAESIDIO
M. GEORGI CALIXTI
HOLSATI
IN ILLVSTRI ACAD.
IVLIA

VII. Kal. Sextil.

DEFENDET
ZACHARIAS VVEGENER
Beunenrodensis.



Helmaestadt Saxonum
Ex officinâ typographicâ IACOBI LVCII,

ANNO M. D.

clb lb cXI.



Admodum Reu.do, Ampl.mo & Prestant.mo V.

D N. P E T R O Weintrauben /
Abbate Cœnobij Riddageshusani
dign.mo, studiorum fautori
benigniss.º;

Strenuis & Nob.mis V.

Dn. HARTVVICO à Garsenbüttel / hereditario
in Essenroda & Scheppow;

ET

Dn. HIERONYMO Nyes / arcis Giffhornensis
Capitaneos;

NEC NON

Reu.dis & Doct.mis V.

Dn. M. HENRICO Schelen / Pastori & Priori
Riddageshusano;

Dn. CHRISTOPHORO OTHONI, in Bierenroda /
&

Dn. LVDGERO Lautenscheide in Unßburg Pastoribus
vigilant.mis

DOMINIS ET MAECENATIBVS SVIS
COLENDIS

Exercitium hoc Theologicum
IN GRATITVDINIS ET OBSERVAN-
tiæ Monumentum


L. M. Q. DICAT, CONSECRAT

Respondens.

DISPUTATIO XI.
DE COENA DOMINI.

Resp. ZACHARIA VVEGENERO.

THESIS I.



Alterum Noui Testamenti Sacramentum Altaris dicitur, & Sacra Domini Coena, Communio, Synaxis, atq; à fine Eucharistia.

II. Est autem actio à Christo instituta, quâ modo supernaturali cum benedicto pane & vino verum corpus & verus eius sanguis accipitur, editur, bibitur; eoq; promissione obsignatâ & fide confirmatâ Christus cum suis meritis & beneficijs omnibus vtenti adplicatur.

III. Hæc omnia fundantur in institutione diuinâ, à quâ dependet totum esse sacramenti, & tamquam à principio proprio omnium controuersiarum quæ circa eius materiam, formam & effectus agitantur, dijudicatio.

IV. Dicimus verò in sacrâ coenâ vnâ cum vero pane & vino adesse & sumi verum corpus & sanguinem Christi, contra Caluinum aliosq; cùm veteres tum nouos sectarios.

V. Circa annum Christi millesimum quinquagesimum vixit Berengarius Turonensis, Diaconus Ecclesiæ Andegauiensis, qui realem in coenâ præsentiam apertè negauit & improbavit, quod ante ipsum quoq; fecerant Io. Scotus circa A.C.800. in Concilio Vercellensi damnatus, & Bertramus circa A.C.886. à Paschasio Abbate Corbeiensi refutatus. Omitto nunc Gnosticos, Manichæos & vniuersim eos, qui cùm Christum negarent verum corpus & sanguinem adsumsisse & habuisse, consequenter eius quoq; in Eucharistiâ præsentiam negabant.

VI. Berengarium refutarunt Adelmanus Episcopus

H h

Brixi-

Brixienſis, Lanfrancus Archiepiſcopus Cantuarienſis, Guimundus Auerſanus & Algerus, quorum ſcripta exſtant.

VII. Damnarunt quoq; aliquot Synodi: Vercellenſis ſub Leone IX. Turonenſis ſub Victore II. Ipſe in generali Lateranenſi ſub Nicolao II Papa A. C. 1059. reuocauit, & errorem quem tradiderat anathematizauit. *Diſt. 2. de Conſecrat. cap. 42. Ego Berengarius.*

IIIX. Nihilominus eum reſuſcitârunt patrum memoriâ And. Caroloſtadius, Huld. Zvvinglius, Io. Oecolampadius, & qui eos ſequuti ſunt Calvinus, Bucerus, Martyr, Beza, & horum qui veſtigijs inſiſtunt erroresq; docent & defendunt.

IX. Contra eſt fundamentum noſtræ ſententiæ opt. max. inſtitutio & verba Chriſti: τὸ ἴδιον τὸ σῶμα μου (*Matth. 26, 26. Marci 14, 22. Luc. 22, 19. 1. Cor. 11, 24.*) quibus ſubiungit Lucas, τὸ ὑπὲρ ὀμῶν διδομένον; Paulus κλάωμενον dixit. τὸ ἴδιον τὸ αἷμα μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ πρὸ πολλῶν ἐκχυόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, ſic Matthæus & Marcus: Lucas autem & Paulus, τὸ ποτήριον ἢ καινὴ διαθήκη ἴδιον, ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι. Vterq; etiam mandati promulgationem addidit: τὸ ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.

X. Hæc verba accipimus vt ſonant, & ſenſum quem ſuâ propriâ vi & modo ſignificandi in cuiuſuis intellectu efficiunt, retinemus, neq; adſentiri poſſumus ijs, qui vlllo modo obſcurant aut torquent.

XI. Duo autem poſſent eſſe modi, quibus propriè explicarentur. Prior, vt ſicut in omni propoſitione adfirmante ita etiam hîc, ſubiectum & prædicatû dicerentur ſupponere pro eodem, ita vt vocula *Hoc* non eſſet poſita pro vlllo alio, quàm pro quo ponitur vox prædicati. Quoniam verò Seruator de eo quod accepit, fregit & diſcipulis ſuis dedit, dicit *Hoc eſt corpus meum* non videtur à voce *Hoc* excludi poſſe panem. Amplector itaq; alium modum, quo τὸ *Hoc* quidem ſuo conceptu inuoluat panem & corpus: ſed quia panis non eſt cor-

pus

pus, sed tantum id, cum quo nobis corpus datur; intellectus noster concipiendo terminos huius enunciationis super subiectum *τὸ Hoc* ita fertur, vt alterutrum pro quo ponitur sumat, atq; ita cum prædicato componat vnumq; ad alterum referat, vt vtrumq; pro eodem supponere intelligatur, sicut in adfirmantibus fieri oportet. Vbi etiam obseruandum, illud per subiectum confuse & sub ratione indiuidui vagi significari; per prædicatum autem subiecto additum propriè & distinctè exprimi & determinari.

XII. Estq; hæc synechdoche in familiari sermone adeò frequens & vsitata, vt excidat nobis de nullo minus quàm de figurato sermone cogitantibus; neq; non facilis & perspicua, vt sine vllâ disquisitione à nemine non intelligatur. Ita dicimus, ostendendo poculum: *Hoc est vinum*; vbi quidem *τὸ Hoc* poculum etiam respicit & inuoluit, sed quando ad prædicatum refertur, id intellectus non attendit, sed isthoc præterito concipit tantum secundum quod cum prædicato pro eodem supponit.

XIII. Hunc itaq; dicimus simplicem, planum & genuinum esse horum verborum sensum, à familiari modo concipiendi & intelligendi non tantum non abhorrentem, sed ab ipso omninò deductum & suppeditatum. Neq; aliter tunc loqui conueniebat Seruatorem. Ipse enim morti vicinus tamquam testator Apostolis testamentum & noui foederis sacramentum condebat & relinquebat. Iam verò testatorum verba solent plana & perspicua esse, nec ab eorum proprietate recedere licet, nisi vbi manifestum est, aliter sensisse testatorem. Longè itaq; alia ratio est horum verborum, ac eorum quæ fiunt in concione ad populum, vbi interdum ornandi, amplificandi aut delectandi, interdum quoq; occultandi ergò à communi modo loquendi discedimus: horum nihil hîc locum inuenit: Testamentum est, præceptum est de ceremo-

Ioh. 15, 15.

Luc. 8, 10.

niâ relligiosâ & cultu diuino, quod priuatim dabat amicis, quibus concessum erat nosse mysteria Dei; Dominus Apostolis, quos legaturus erat in orbem terrarum, vt idem testamentum & mandatum proponerent & promulgarent; deniq; Magister discipulis, quos vicissim gentium doctores esse volebat & si quæ obscuriora aut intricatiora priuatim docebat. Verba itaq; nihil minus oportebat esse quàm inuolucris & figuris operta, aut à communi modo loquendi & intelligendi aliena, ne testator heredibus *μηλον ερειδω* obiecisse videretur, voluntatemq; Domini nec Apostoli intelligerent, nec doctrinam præceptoris discipuli discerent, vnde circa executionem mandati error & circa doctrinam inscitia & ambiguitas nasci posset.

XIV. Et certè, quia propriè loqui voluit, ideo à vulgari more loquendi discedere non debuit; neq; verò vllis verbis clariùs magis propriè loqui potuit aut significare id esse suum corpus, quàm simpliciter dicendo, vt dixit: *Hoc est corpus meum.* Neq; enim addere debuit: *Hoc est propriè.* Nam non est talis consuetudo loquendi, nè tum quidem, cùm maximè adnitimur propriè loqui.

3. de doct.
Ch. c. 10.

XV. Neq; nos cogit vlla necessitas, vt à sensu quem perspicua verba & communis modus intelligendi suppeditat, discedamus. Illud enim, *ne propriam loquutionem quasi figuratam velimus accipere, quod in sermone diuino neq; ad morum honestatem, neq; ad fidei veritatem propriè referrì potest, figuratum esse docet Augustinus* Iam verò nullum absurdum aut inconueniens, vt postea demonstrabitur, hic sensus gignit. Non impingit in quem articulum fidei. Non in alium aliquem locum scripturæ. Non vllò modo contortam aut aliunde petitam explicationem innuunt scriptores ipsi. Sunt certè quatuor, qui diuersis temporibus alius post alium sacramenti huius institutionem enarrârunt, & qui hoc in more positum

situm habent, vt explicet alter quod ab altero vel neglectum vel obscurius perscriptum fuerat. Hic igitur in re tantâ quia nihil huius factum videmus, censemus quoq; nihil huius subesse.

XVI. Aliàs scriptura & Christus, ijs quæ scrupulum mouent, explicationem subiungit, si non publicè, certè priuatim ad discipulos, quos minimè volebat in doctrinâ errare. Ita fermentum explicatur *Matth. 16. Luc. 12.* Templum quod destructuri erant Iudæi *Ioan. 2.* Mors Ioannis & Petri. *Ioan. vlt.* Res igitur tanti momenti toties præteriri non potuit.

XVII. Et certè verba ipsa torqueri & fictis tropis inuolui nolunt, vt singula tentata fuerint ab aduersarijs. Insigne verò temeritatis, in constantiæ & hæreseos argumentum est discordia inter principes sectæ super genuino sensu & capite controuersiæ. Nempe adeò vera est sententia Augustini: *Si de doct. Ch. animum occupauerit alicuius erroris opinio, quidquid aliud adse-* ^{1.3.c. 10.} *ruerit scriptura, figuratum arbitrantur.*

XIIX. Carolstadius exponit: Hoc est, id est, hic est, siue sedet corpus meum. Qui sensus & ridiculus est & cum superioribus malè cohæret. Casp. Schvvenckfeldius *ad Hoc* spirituales indicationem exponit, & cum sensu verborum ordinem inuertit, quasi dixisset Christus: Accipite, edite corpus meum, hoc est spiritualis cibus. Bucerus *ad hoc* hanc actionem nimirû ipsam cœnæ administrationem significare dicit.

XIX. Zvinglius omisso vocabulo *Hoc* *ad Est* arripit vt in eo tropum statuatur & exponat pro significat; verum imperitè. *ad Est* enim simplicissimæ significationis nihil nisi ipsum esse dicit in omni propositione ad combinationem extremorum necessarium. Quare ad aliam significationem trahi, aut tropum sustinere non potest. Neq; vllus Rhetorum in eo vnquam tropum finxit.

XX. Calvinus vt reliquis omnibus acutiorem se ostendat,

Instit 1 4.c.
17. § 21.

1. Cor. 10, 4

dat, & absurditates, in quas illi impegerant euitet, ita nobis
suam sententiam proponit: *Restat ut propter adfinitatem, quam
habent cum suis symbolis res signata, nomen ipsum rei fateamur
adtributum fuisse symbolo: figuratè id quidem, sed non sine aptissimâ
analogiâ. Dico Metonymicum esse hunc sermonem, qui usitatus est
passim in scripturâ, ubi de mysterijs agitur. Item. Ut lapidem, è quo
Israëlitis spiritalis potus scaturiebat, Christum fuisse Apostolus do-
cet, quòd visibile symbolum foret, sub quo spiritalis ille potus verè
quidem, sed non ad oculum percipiebatur: ita corpus Christi panis
hodiè nuncupatur, quando symbolum est, quo veram corporis sui
manducationem offert nobis Dominus. Vult itaq; Calvinus præ-
dicatum sustinere Metonymiam signati pro signo, ut vox cor-
poris posita sit pro figurâ, signo & symbolo corporis, sensusq;
sit, Panem esse figurâ corporis, quoniam sic virtute corporis
Christi nutriamur & reficiamur, sicut aliàs pane sustentamur.*
XXI. Didicit hæc ex Oecolampadio; neq; verò reapse
à Zvvinglio dissentit. Idem enim est: *Hoc significare corpus;
atq; est: Hoc esse figuram corporis.* Commodius tamen aliquan-
tò loquitur Calvinus, & minus in Rhetoricam troporumq;
explicandorum rationem peccat. Sed Beza videtur malle
sequi Zvvinglium. nam *quest. & resp. de Sacr. 210.* docet neq; in
subiecto neq; in adtributo: sed in copulâ siue adtributionis genere
tropum statui debere. Item. Dico, inquit, in ipso adtributionis ge-
nere tropum esse, id est, verum quidem & propriè acceptum corpus
de vero quoq; & propriè accepto pane dici, sed figuratè, non propriè.
Quod quid sibi velit, fateor me non intelligere; aut certè
quantum intelligo, inuoluit contradictionem in adiecto lo-
quutionem esse figuratam, tropumq; in ipso adtributionis ge-
nere, neq; tamen in subiecto aut prædicato reperiri; & verum
corpus de vero pane figuratè dici: num verus homo figuratè
poterit esse verus leo? Si figuratè est leo, certè non est verus
leo. Verùm ille sui oblitus mox *quest. seq.* corpus interpreta-

tur



etur Sacramentum, signum siue figuram corporis. Quoniam itaq; figura corporis dicitur de pane, num de eo verum & propriè acceptum corpus dicitur?

X X I I. Sed nos ad Caluinum reuertamur, qui vt ostendimus, sine ambagibus corpus Metonymicè figuram corporis exponit, nomenq; rei signatæ signo transcribi docet. Hæc sunt eius verba: *Signa sunt panis & vinum, quæ inuisibile alimentum, quod percipimus ex carne & sanguine Christi, nobis representant.* Item. *Quum panis nobis in symbolo corporis Christi datur, hæc statim concipienda est similitudo, Vt corporis nostri vitam panis alit, sustinet, tuetur: ita corpus Christi vegetanda ac viuificanda anima unicum esse cibum. Quum vinum in symbolum sanguinis propositum intuemur, cogitandum quos corpori vsus vinum adferat, vt eosdem spiritualiter adferri nobis Christi sanguine reputemus: sunt autem fouere, reficere, confirmare, exhilarare.* Omitto, quod hîc pluribus vrgere possem, rationem huiusmodi figuratè loquendi, quam fingit Caluinus, planè repugnare rationi & modis figuratè loquendi. Id enim in quo proprietates illa quam exprimere laboramus, magis perspicua est, de eo in quo minus ipsa perspicua est, adfirmari & prædicari solet, non contrà. Sic virum fortem dicimus esse leonem; vafrum siue astutum dicimus esse vulpem, quoniam in leone fortitudo & in vulpe astutia est notissima. Si itaq; Christus dicere voluisset, quod voluisse docet Caluinus, vtique dixisset: *Corpus meum est panis*, nam in pane vis alendi & reficiendi est notissima. Sicut alio loco dixit: *Ego sum vitis vera*, nam in vite vis vegetandi palmites conspicua est: imò cum id ipsum significare vellet, sic loquutus est: *Ego sum panis vita.* Et: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Hîc quoniam contrario modo loquitur, certum est, non intendisse huiusmodi quid significare, sed potius id, quod dicitur simplex verborum conceptus, quem suprâ explicauimus. Omitto etiam, quòd ratio Noui

Inst. l. 4. c. 17

S. 1.

S. 30

Joh. 15. 1.

6, 350

55.

Testa-



Testamenti exigat, vt eius sacramentum sine figuris & inuolucris proponatur. Sin per figuras aut significationes Christus agere voluisset, non fuisset opus nouo sacramento, sed suffecisset & fortè rectius totum id præstitisset Agnus Paschalis. Neq; verò iuuat Caluinum in defendendâ suâ figurâ, quòd nos in verbis Christi familiarem synechdochen admiserimus: hæc enim vsitata & facilis adeò est, vt figura esse vix animaduertatur aut haberi digna sit. Caluini contrâ cùm figuratum explicatio figuræ contorta & violenta adeò est, vt vix voce exprimi aut mente possit intelligi, quod in sequentibus facile demonstrabimus.

XXIII. Nam quia nimis exiguum tanto sacramento tribuisse videretur, si ei præter significationes & figurationes istas nihil tribueret, ideo sermonem altiùs adtollit, & dicere audet: *Hoc verbum nec mentiri, nec illudere nobis potest, Accipite, edite, bibite: hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: hic est sanguis, qui in remissionem peccatorum effunditur. Quod accipere, iubet significat nostrum esse: quod edere iubet, significat vnam nobiscum substantiam fieri. Et: accepto corporis symbolo, non minus corpus etiam ipsum nobis dari cerò confidamus: Et: Dico, in Cæna mysterio per symbola panis & vini Christum verè nobis exhiberi, adeoq; corpus & sanguinem eius, in quibus omnem obedientiam pro comparandâ nobis iustitiâ adimpleuit: quo scilicet primùm in vnum corpus cum ipso coalescamus: deinde participes substantiæ eius facti, in bonorum omnium communicatione virtutem quoq; sentiamus. In cap. 26. Matthæi: Verè in cænâ datur nobis corpus Christi, vt sit animis nostris in cibum salutarem, hoc est, substantiâ corporis Christi pascuntur animæ nostræ, vt verè vnum efficiamur cum eo. Hæc verò si verè & ex animo diceret & doceret Caluinus, nihil reliquum foret, de quo litem ei moueremus. Nam quantum verba sonant, substantiam corporis Christi in cænâ adesse ita disertè adserit, vt disertius nemo nostrum velit, neq; possit.*

24. Sed

XXIV. Sed aut ijs verbis Deo & hominibus illudit, aut suam ipsius sententiam funditus euertit. Suâ euentiâ consideranti hoc per se manifestum est: nam si verum corpus & sanguinem Christi sumimus, si animus noster cum Christo secundum substantiam verè vnitur, non tantùm hoc fiet secundum gratiam, virtutem aut effectum quemdam, hic enim nec est nec dici potest verum corpus aut substantia, neq; vnio inde resultans substantialis, aut alia quàm figurata, impropria & metaphorica. Sic fideles cum dicuntur esse vniti cum Christo, tamquam membra cum capite, metaphorica est loquutio: nulla enim substantiarum coniunctio significatur, sed tantùm quædam similitudo, quæ est inter habitudinè Christi ad fideles, & habitudinem capitis ad reliqua membra. Ita quoq; si tantùm animus noster secundum effectum quemdam, qui à corpore Christi in eum promanat, cum corpore Christi vnitus esse dicitur, non nisi improprie & metaphoricè vnitus dicitur, nempe ob aliquam similitudinem, quæ ratione istius effectus sit inter habitudinem corporis Christi ad animum nostrum, & habitudinem duarum aliarum rerum verè & proprie vnitarum. Quamobrem si sincero non ficto animo Calvinus *veram substantialemq; corporis ac sanguinis Domini communicationem, quæ sub sacris cæna symbolis fidelibus exhibetur*, recipit, non potest non alium coniunctionis modum præter hunc, quem modò enarrauimus, & quidem ipsum eum, qui à nobis adstruitur recipere.

S. 19.

XXV. Omnis enim alius modus realis coniunctionis duarum substantiarum aut est secundum substantialem vnitatem personæ vel naturæ, quæ ex vtrâq; resultet; aut secundum indistantiam localem vtriusq; substantiæ. Prior quia locum hîc non habet, habebit certè posterior, nimirum vt vniamur cum corpore Christi secundum indistantiam localem. Non autem rapitur substantia animi nostri in cœlum,

Li

vt

vt ibi cum corpore Christi localiter coniungatur. Restat igitur hinc in terris per symbola sacrae coenae substantiam corporis Christi nobis exhiberi; hinc nos substantiam corporis Christi pasci, non quidem ad naturale corporum nutrimentum, sed ad spirituale animarum alimentum, atque ita cum ea secundum indistantiam localem vnam substantiam fieri. Haec ex ijs quae pleno ore Calvinus professus est, recte sequi & deduci constat.

XXVI. Nihil tamen minus ille admittit, quam hoc ipsum. Sic enim Calvinus, qui quae eum sequuntur, ad vnum omnes: *Tollenda est qualibet localis praesentiae imaginatio. Item: Ne qua ambiguitas restet, quum in caelo quaerendum Christum dicimus, haec loquutio locorum distantiam sonat & exprimit. Tamen si enim philosophice loquendo super caelos locus non est: quia tamen corpus Christi, ut fert humani corporis natura & modus, finitum est, & caelo, ut loco, continetur: necesse est a nobis tanto locorum intervallo distare, quanto caelum abest a terra.* Dicas itaque; non relinquitur ergo alia nostri cum corpore Christi coniunctio, quam figurata illa superius explicata, quae secundum effectum. Dico ego quoque; & addo, me demonstrasse quod volebam, Calvinum ita doctrinam suam proponere, ut Deum & homines ludos faciat, aut certe sese suo gladio iugulet.

Conf. cum
Tigur. c. 21.
c. 25.

XXVII. Quamquam contradictiones in hac materie non sunt insolentes Caluino, quod etiam ex hisce poterit intelligi. *Nec illi, inquit, mihi satisfaciunt, qui nonnullam nobis esse cum Christo communionem agnoscentes, eam dum ostendere volunt, nos Spiritus modo participes faciunt, praeterita carnis & sanguinis mentione. Quasi vero illa omnia de nihilo dicta forent, carnem eius vere esse cibum, sanguinem eius vere esse potum &c.* Item: *Tamen si fidem haec omnia respiciunt, nullum tamen locum relinquo huic cauillo, quasi dum fide percipi Christum dico, intelligentiam duntaxat & imaginatione velim concipi.* Concilientur ista cum superioribus,

Inst. l. 4. c. 17
S. 7.

ribus, & cum hisce: *Christus quatenus homo, non alibi quàm in* Conf. c. 21.
cælo, nec aliter quàm mente & fidei intelligentiâ quærendus est. In
eamdem sententiam Beza: *Amplius aliquid in Cœnâ, quàm in* Dial. adu.
simplici verbo & Baptismo offerri, quod ad rem ipsam adinet, id verò Heshuf.
pernegamus. Et: *Patres in V. Testamento non minus participes fue-* Colloq.
runt corporis & sanguinis Christi, quàm nos sumus in cœnâ Dominicâ. Momp.

XXIIX. Cognoscimus itaq; in speciem tantùm esse con-
ficta, quæ magnificè de hoc sacramento Calvinus & Caluini-
stæ prædicant, in quo quidem reipsâ non nisi symbola & si-
gna corporis & sanguinis adesse statuunt, neq; aliam coniu-
ctionem nostri cum corpore Christi fieri doceant, quàm fi-
guratam illam respectu effectus qui à corpore Christi ad nos
deriuetur. Si verè aliam velint, inuoluent se contradictione,
nec vniquam quid velint mente concipere, aut communibus
saltem vocabulorum notionibus exprimere poterunt: nimi-
rum substantiam corporis & sanguinis Christi cum illo verè
coniungi, & ab illo verè percipi, à quo tamen tanto locorum
interuallo distet, quanto cœlum abest à terrâ. Quare qui in-
genui sunt, simpliciter se de effectu loqui fatebuntur.

XXIX. Atqui hic ipse effectus & influxus gratiæ & virtu-
tis viuificæ contingit ratione fidei, non ratione sacramentis;
& nisi qui ad sacramentum accedit, credat, particeps huius
effectus haut fiet. *Utilitas, ait Calvinus, quam ex sacramentis* Conf. ca. 26
percipimus, ad tempus, quo ea nobis administrantur, minimè re-
stringi debet: perinde ac si visibile signum, dum in medium profer-
tur, eodem secum momento Dei gratiam adueheret. Nam qui in
primâ infantiâ baptizati sunt, eos in pueritiâ, vel ineunte adole-
scentiâ, interdum etiam in senectute regenerat Deus. Et fieri inter-
dum potest, ut sacra Cœnæ usus, qui in actu ipso propter incogitan-
tiam vel tarditatem nostram parum prodest, fructum deinde suum
proferat; nempe quandocumq; fide Christum & merita eius
adprehendimus: propterea scribit corpus Christi nobis por-

Inst. l. 4. c. 17
§. 5.
rigi ut vescamur, quum fide nos facit eius participes. Ipse itaq;
cum suis manducare docet idem esse quod credere. Quam-
quam etiam hinc, ut sapere videatur & subtilius disputare &
rectius sentire quam ceteri, more suo ampullatur. Sunt, in-
quit, qui manducare Christi carnem, & sanguinem eius bibere, uno
verbo definiunt nihil aliud esse quam in Christum ipsum credere.
Sed mihi expressius quiddam & sublimius videtur voluisse docere
Christus in praclarâ illâ concione, ubi carnis suae manducationem
nobis commendat: nempe verâ sui participatione nos viuificari.
Interim verò hanc non aliam esse quam fidei manducationem fate-
mur: ut nulla alia fingi potest. Verum hoc inter mea & istorum
verba interest, quod illis manducare est duntaxat credere: ego cre-
dendo manducari Christi carnem, quia fide noster efficitur, eamq;
manducationem fructum effectumq; fidei esse dico. Aut si clarius
velis, illis manducatio est fides: mihi ex fide potius consequi videtur.
Sapientiam Caluini nodum in sirpo quaerentis! Si allegoriæ
usq; adeò inhærere luberet dicerem & fortè rectius, mandu-
care esse credere; quod autem fidem consequitur, nempe
meritorum Christi imputationem, eorumq; fruitionem ha-
bere sese ad modum nutritionis, quæ ipsa quoq; manducati-
onem consequatur. Sed quidquid sit, manifestum est neq;
diffitetur Calvinus, totum id ad fidem pertinere: sacramen-
to quatenus tali nihil omnino relinqui nisi significationem
illam per externa symbola.

§. 7.

XXX. Quorsum igitur de magnitudine mysterij, cuius
sublimitas animo comprehendi non possit, declamitat?
Quamquam, inquit, cogitando animus plus valet, quam lingua
exprimendo: rei tamen magnitudine ille quoq; vincitur & obruitur.
Itaq; nihil demum restat, nisi ut in eius mysterij admirationem pro-
rumpam, cui nec mens planè cogitando, nec lingua explicando par
esse potest. Certè panem signum esse spiritualis cibi, quo ani-
mæ nostræ alantur, & memoriam in nobis mortis Christi re-
noua-

nouare, id quidem mens cogitare & lingua explicare potest,
Aut igitur sacra coena tantum mysterium non est, quod ta-
men rectè nobis & omnibus consentientibus confessus est
Calvinus; aut erit aliud quid, cuius ratione tantum mysteri-
um haberi mereatur.

XXXI. Dicit fortè hoc sacramento beneficia diuina ob-
signari. *Magnum, inquit, fiducia ac suauitatis fructum ex hoc sa-
cramento colligere possunt pia anima, quòd testimonium habent in
vnum corpus nos cum Christo coaluisse, ut quidquid ipsius est, no-
strum vocare liceat.* Sed cum solâ fide Christi participes red-
damur, quid ijs obsignabitur, quibus nihil communicatur;
Iis, inquam, qui sine fide accedunt? imò quid ijs non tantum
dico obsignabitur verum etiam significabitur, qui iuxta Cal-
uinum ab vtero certæ morti deuoti numquam fide donan-
tur, neq; beneficiorum Christi participes fiunt? nempe co-
gitent illi miseri, sic gratiam Christi animam quidem nutrire
posse, sicut à pane corpus alitur: sibi verò hîc neq; offerri neq;
significari quidquam, multò minus obsignari. Ipsis autem
fidelibus hoc sacramentū non erit nisi testimonium de man-
dicatione, cuius iam antè per fidem participes facti sunt, sic-
ut supra ex Caluino ostendimus: vnde sequitur eos priusquã
manducant, manducasse; & ijs porrigere corpus Domini ad
manducandum, esse idem quod testificari eos iam antè cor-
pus Domini sumsisse & manducasse. Sed hæc alius enodet;
ego tantum hîc moneo, huic etiam ipsi quòd sacra coena sit
testimonium de diuinâ in nos beniuolentiâ & fruitione Chri-
sti, mentem cogitando & linguâ explicando parem esse posse.

XXXII. Hæc ita contra Calvinum ex ijs quæ ipse agno-
scit disputare libuit. Nunc pressius istam expositionem vr-
gebo. Nullibi corpus Christi in S. scripturis sine additâ ex-
plicatione (qualem videre est, 1. Cor. 12, 27. Ephes. 1, 23. 5, 32.
Colos. 1, 24.) nisi pro vero & naturali corpore accipitur. Hinc

argumentor in hunc modum : Significatio illa, quã corpus
symbolum & figuram corporis siue beneficia corporis deno-
tare dicitur, aut continetur in scripturã, aut non continetur.
Si continetur, monstrent illi, si viri sunt. Si non continetur,
aut Scripturam insufficientem eos dicere oportet; aut non ni-
si cerebri Calvinistici partum esse, quod ipsis sacrosanctum
est, & summi plenã iam margine libri scribitur, & in tergo,
necdum finitur.

XXXIII. Deinde manifestò repugnat determinatio, quæ
subnectitur: *corpus quod pro vobis traditur; sanguis qui effunditur.*
Nam quando loquutio est figurata, non solet adiungi
nisi quod proprietatem illam, secundum quam figuræ vis ad-
tenditur, explicat; vt si dicam: *Herodes est vulpes, quæ est ani-
mal vas ferrimum & ex insidijs prædam captat.* Quando autem, vt
hic, additio non similitudinem illam sed absolutè ipsius rei
adfirmatæ veritatem respicit, tunc secundum communem
modum loquendi & intelligendi præcedentis adfirmationis
proprietatem & veritatem indicare censetur.

XXXIV. Porro huiusmodi interpretationem non admit-
tunt verba hæc de calice: *Hic calix nouum testamentum est
in meo sanguine.* Nam nouum testamentum non in figurã
sanguinis, sed in vero sanguine constitutum est. Quod si per
figuram hæc verba euertantur, quidnã etiam illa: *Habemus re-
demtionem per sanguinem eius?*

XXXV. Atq; si aliquod ob latam illam rationem Christi
corpus dici mereatur, quia sit figura corporis, Christi vel me-
moriam in nobis renouans, vel beneficia & meritum adpli-
cans, Christi corpus dici quoq; poterit imago crucifixi, pote-
rit baptismus.

XXXVI. Paulus I. Cor. 10, 6 dicit poculum benedictio-
nis esse *κοινωνία* sanguinis Christi, & panẽ corporis Christi. *κοι-
νωσία* hïc significat veram participationem: quia dehortatur A-
posto-

Eph. 1, 7.

postolus ab esu & vsu Idolothytorum, qui vera erat eorum participatio, cui istam opponit. Et infra v. 21 vitur verbo μετέχειν, quod significantissimè idem est quod participare.

XXXVII. Sed & manifestò falsum diceret Paulus. Si enim corpus Christi nihil est nisi beneficia Christi, quibus per fidem participamus: non iam panis esset κοινωνία corporis Christi, sed fides.

XXXIIX. Sequenti capite versus 27 hæc verba sunt. *Quisquis manducarit panem hunc vel biberit calicem Domini indignus: reus erit corporis & sanguinis Domini.* Et versu interposito: *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit μὴ διακρίνων τὸ σῶμα τῆς κρείττης.* Quod si iuxta Calvinum corpus nihil

est nisi corporis signum, licet eò vsq; efficax vt cum eo beneficia & merita Christi offerantur; & hoc corpus manducare nihil est nisi ea per fidem percipere & sibi adplicare: quomodo quæso qui manducat aut reus sit corporis & sanguinis Domini, quum nuda signa participet; aut quomodo indignè manducet, quū manducare sit credere; aut quomodo corpus Domini quod minimè percepit ab alijs cibis non discernat?

XXXIX. Verba igitur institutionis absq; tali figurâ accipimus & interpretamur, quemadmodum tot locis vniformiter repetita sonant & exponuntur ab vniuersâ Ecclesiâ, quæ per totam ætatem à suis vsq; incunabulis ad exortum Calvinum errare non potuit; item ab orthodoxis & receptis Patribus vnanimi consensu & tenore, facillimè per continuam ætatem seriem deducendo & demonstrando, cui medium vnguem ostendere barbarum est.

XL. Non autem caussari quis poterit necessariò figuratè accipi, quoniam fieri nequeat, vt verum & naturale corpus sit alicubi, neq; occupet locum, aut vt vnum corpus in diuersis locis constituatur; aut in vno plura.

XLI. Nam Deus potest facere quidquid non implicat
con-

contradictionem. Huiusmodi enim ponit mendacium, quippe esse & non esse simul, unde existeret aliquod, cuius esse foret non esse; quod est defectus, & nullo modo simile auctori Deo.

XLII. At corpus non occupare locum haut implicat contradictionem. Nam istud non est de essentiâ corporis, quia non ponitur in definitione eius. Deinde prius quid est ipsa magnitudo, quodq; ei essentialia est, nimirum extendi in se, habere partem extra partem, & proinde situm quemdam & dispositionem earum intrinsecam, atq; naturaliter aptum esse locum replere, loco commensurari & ex loco aliud corpus expellere; posterius quid habere situm extrinsecum in ordine ad locum, & actu coextendi siue commensurari loco, ipsum replere, & per hoc aliud expellere, tanquam functio & officium quoddam essentiæ ab ipsâ omninò distinctum. Posterius à corpore remouetur diuinâ potentiâ; non prius; nam manet naturalis illa aptitudo ad circumscriptionem in loco.

XLIII. Præterea in promptu sunt exempla similia: Christus per vterum virginis matris, illæso eo, prodijt; & per sepulcrum clausum & per fores clausas, & adscendit supra cœlos, qui naturâ suâ in corruptibiles sunt, & *solidissimi, quasi ære fusi.* Job. 37, 18.

XLIV. Horum autem nihil fieri potuit, nisi quia vel corpus non repleuit locum, quo etiam modo Christus apud Deum possibile esse dicit, vt camelus transeat per foramen acus, *Matth. 19, 24. Marc. 10, 26. Luc. 18, 25;* vel quia vnum non expulit aliud, ita vt in vno loco duo essent corpora.

XLV. Exempla quoq; sunt de eo, quòd virtute diuinâ in pluribus locis vnum corpus esse possit. Christus adscendit cœlos; eum enim oportuit cœlos suscipere vsq; ad tempus restitutionis omnium *Act. 3, 21.* Nihilominus Paulo adparuit *Act. 9, 5.* & hoc ipse testatur *Act. 21, 8.* Et ad idem respicit, cum ait,
Chri-

Christum post resurrectionem suam visum Cephæ, & post
duodecim, & quingentis fratribus, inde Iacobo, inde Apo-
stolis omnibus, additq;: *Novissimè autem omnium tamquam abor-* 1. Cor. 15, 8.
tivo visus est & mihi, nempe corporeis oculis, sicut Cephæ &
reliquis. Vidit Iustum, teste Anania, & audiuit vocem ex ore Act. 22, 14.
eius. Fuit igitur is simul in cœlis & in aëre terræ vicino. Nam
nihil impedit, quò minus omnipotentiâ diuinâ multiplice-
tur accidens præsentia, non multiplicato ipso corpore, sub-
iecto istius accidentis se posterioris, & à se diuersi, ita vt per
eamdem potentiam omnino sine ipso conseruari possit.

XLVI. Quòd si dixerint, vnum corpus in pluribus locis
esse non posse, non quia corpus sit, sed quia vnum quiddam
est, respondendum est, Deum opt. max. multò magis vnum
quiddam esse; & tamen in diuersissimis locis esse: & si alium
mundum crearet, qui hunc nullâ ex parte contingeret, nihilo
minus fore in vtroq;. Urgebunt fortè, corpus esse vnum quid
finitum & creatum. Verùm substantia rerum finitarum non
loco primariò, sed suo genere & differentiâ finitur, nempe
vt suam tantum perfectionem, non aliarum omnium rerum
naturâ suâ complectatur. Ex quo fit, vt corpus maneat fini-
tum, etsi totum ponatur in pluribus locis.

XLVII. Demum qui hoc concedere nolunt, quia modum
quo supra captum humanum & naturæ cursum fiat, non ca-
piunt, quomodo concedent & credent alia mysteria, item mi-
racula æquè difficilia cognita. In Trinitate est vna essentia,
sunt tres personæ verè & realiter distinctæ, cum quibus sin-
gulis essentia identificatur, ipsâ nihilominus indiuulsâ & in-
distractâ. In Incarnatione in vnam hypostasim vniuntur duæ
naturæ perfectæ, neq; hypostasi diuisâ, neq; naturis confusis.
In creatione ex non-ente-negatiuo productum est verum &
positiuum ens. Atq; hoc ipsum annihilari potest potentiâ di-
uinâ & supernaturali. In Resurrectione idem corpus nume-

ro resurget, atq; ita vnum indiuiduum bis fiet, & vnum ta-
men manebit. In inferno corpora damnatorum vero igne
vrentur & dolore adficientur, non tamen dissoluentur.

XLIX. Porro sicut corporis quanti est replere locum, ita
calidi est calefacere, grauis ponderare, colorati in medio di-
aphano ab apertis oculis videri. Nihilominus in fornace Ba-
bylonicâ nō adurit ignis; *Dan. 3.* Super mare ambulantes Chri-
stus & Petrus non mergebantur; *Matth. 14.* imò aquæ Iorda-
nis transeunte populo Israëlítico non modò non descende-
bant, verùm etiam adscendebant; *Iosue 3.* Christus per me-
diam turbam inconspèctus transijt; *Luc. 4. Ioan. 8.*

XLIX. Hactenus contra Caluianos demonstrauius,
realem corporis sanguinisq; Christi exhibitionem in cœnâ
Deum præstare & posse & velle. Illud quidem ex omnipo-
tentiâ diuinâ, istud ex voluntate.

L. Voluntatem habemus expressam in verbis institutio-
nis, simpliciter, vt ostendimus, accipiendis. *Accipite, edite
hoc est corpus meum.*

LI. Quando videlicet panis benedictus accipitur & edi-
tur, simul accipitur & editur corpus Christi ex vi factæ pro-
missionis & institutionis.

LII. Neq; vltèrius modum anxie inquirimus, neq; sci-
re aut determinare cupimus, quem tamen scimus Deo cogni-
tissimum & facillimum, vtut supra ingenium & naturam. Ver-
bis fidem habemus cætera securi, quomodo qui promisit,
quod promisit, præstet.

LIII. Quamquam suprâ docuimus non implicare con-
tradictionem, neq; quidquam absurdi si adsit ibi corpus per
virtutem diuinam, non occupando aut replendo locû. Faciat
itaq; Caluinus, quod se facturum pollicetur, cum ait: *Absur-*

ditatibus sublati, quidquid ad exprimendam veram SVBSTAN-
TIALEMq; corporis ac sanguinis Domini communicationē, qua sub
sacris

Inst. 1.4.c.17
§. 19.

sacris caena symbolis exhibetur, facere potest, libenter recipio.

LIV. Quando igitur Christus panem porrigit & dicit, *Hoc est corpus meum*, vnà cum pane tanquam instrumento offerente, porrigit corpus suum manducandum, atq; ita & panem & corpus, illum quidem sensibiliter, illud insensibiliter. Explicat id ipsum, Paulus cùm dicit: *Panis est communicatio corporis Christi*; h. e. Panis est ceu vehiculum & instrumentum, per quod nobis corpus Christi communicatur.

LV. Panis igitur manet panis, talis autem fit panis, qui cum nobis corpus Christi offertur.

LVI. Et bene notandum est hanc loquutionem, & quòd nullibi reperiatur huiusmodi: *Panis est corpus Christi*: sed mutato subiecto mutatur etiam prædicatum, vt sine scripturâ & ratione loquantur Calviniani & Pontificij, qui altero dicendi modo libentiùs vtuntur. Neq; enim substantiæ naturis & suppositis distinctæ de se inuicem propter vnionem aliquam accidentalem verè prædicari possunt: neq; panis retinens suam essentiam, poterit esse corpus Christi, panis scilicet esset & non esset: neq; amittit suam essentiam, vt transeat in essentiam corporis.

LVII. Nam Paulus panem benedictum & in ipso vsu constitutum significanter & aliquoties panem adpellat, *1. Cor. 10. & 11.* Deinde inepta foret loquutio, si panis non panem, sed corpus supponeret, ista: *Panis quem frangimus, communicatio corporis Christi est.*

LIX. Pontificia itaq; transsubstantiatio, quâ substantiam panis in substantiam corporis conuerti fingunt, manentibus nihilominus omnibus accidentibus panis, non tantùm excogitata est præter scripturam, sed & contra eam.

LIX. Imò contra rationem quoq;

LX. Panis si conuertitur in corpus, omninò istud corpus fiet ex hoc pane. Ita in conuersione naturali, si aqua in aë-

rem conuertitur, aër ille fit ex aquâ; in supernaturali ex vxore Loth facta est statua salis, ex aquâ vinum: quamquam hîc nullâ præcedente dispositione; ibi materiâ per præuiam priuationem ad susceptionem nouæ formæ præparatâ.

LXI. At corpus, quod sumimus, Christi corpus est, natum ex virgine & pro nobis traditum. Corpus itaq; quod sumimus ex pane factum non est. Panis igitur in id conuersus non est.

LXII. Porro corpus illud, in quod panis conuertitur aut fuit ante conuersionem, aut non fuit. Si fuit, idem est seipso prius & posterius, atq; ita idem, non erit idem, sed aliud à seipso. Si non fuit, Christi corpus non est.

de Euchar.
l. 3. cap. 184

LXIII. Bellarminus videtur occurrere distinguendo conuersionem in Productiuam & Adductiuam. De Productiuâ procedere dicit argumentum nostrum. In hoc sacramento Adductiuam esse, per quam terminus ad quem existens quidem ante conuersionem sed non in eo loco, vbi est terminus à quo, adducatur ad eum locum.

LXIV. Verum non potest intelligi, quomodo fiat conuersio, & quidem substantialis si terminus ad quem substantialiter existat ante omnem motum atq; actionem, & tantum succedat in locum termini à quo. Hæc mutatio non erit transsubstantiatio, sed accidentalis translocatio vel latio ad aliud vbi, ex quo quod prius ibi erat vel expelletur, vel annihilabitur. Sicut si Christus vinum ex aquâ non produxisset, nemo sanus diceret, aquam in vinum substantialiter conuersam fuisse, sed potius accidentariam mutationem locorum intercessisse, & vinum hîc, aquam autem aliò concessisse; aut planè interiisse. Idem omnino iudicium est de pane, si ex eo non producitur corpus.

LXV. Præterea panis si vertitur, vertitur aut in corpus Christi; aut in aliud quid. Non in corpus, quoniam hoc, vt
fate-

fatetur, non subiacet mutationi substantiali, imò nec accretionem aliquam recipit. Vterq; autem terminus in verâ conuersione actioni subest. Et quoniam, vt volunt, in hac conuersione corpus adducitur, panis conuertitur, duo sunt subiecta & duæ actiones. Non igitur conuersio. Hæc enim est vna actio, cui subest vnum subiectum sustinens priuationem vnius formæ & introductionem alterius siue terminum à quo & ad quem. Neq; verò panis in aliud quid mutatus est. Anihilatus igitur est, aut aliò translatus. Quare panis annihilationem, quam tantopere declinare nititur Bellarminus; aut certè, si hanc nolit transflocationem admittere cogitur. Imò adductiua conuersio nihil aliud est, quàm adductio vnius, & alterius vel annihilatio vel transflocatio.

LXVI. Animaduertit ipse, se distinctione suâ & conuersione istâ adductiuâ germanam conuersionem siue transsubstantiationem euertisse, quum ea quiduis potius esse possit, quàm hoc. Quamobrem in Recognitione suorum operum ^{A.C. 1603.} ante triennium editâ sententiam hanc vel confirmare vel excusare conatur, sed frustra. Adscribam verba ipsius ad locum supra citatum: *Dixi conuersionem panis in corpus Christi, non esse productiuam, sed adductiuam. Quod dictum video à nonnullis perperam esse acceptum, qui inde colligunt hanc non esse verè conuersionem siue transsubstantiationem, sed transflocationem. At pace ipsorum aperte falluntur, sicut enim conuersio & transsubstantiatio, ad panem pertinent, non ad corpus Christi: (sed ad vtrumq; pertinent, si vera foret conuersio; & quæstio est, an sit conuersio vbi actio non respicit substantiale esse vtriusq; termini.) sic etiam transflocatio, si cui conueniret pani conueniret, non corpori Christi. At pani nullo modo conuenit cum non mutet locum sed transeat in corpus Christi. Sed neq; corpus Christi per conuersionem adductiuam translocari dici potest. Itaq; adductiuam conuersionem appellauimus, vt significaremus corpus Christi per consecratio-*

*nem Eucharistiae non produci de nouo, sed praexistere, & per con-
uersionem panis in ipsum incipere esse sub speciebus panis.*

LXVII. Haecenus verba Bellarmini, quibus non obscure in nostram etiam sententiam transire videtur. Nihil enim aliud dicit quam corpus & sanguinem Christi in sacramento coenae incipere esse sub pane & vino, aut sub speciebus panis & vini, ubi prius non erant. Si quid praeterea vult vel annihilationem vel translocationem cogitur concedere. At neutra hinc opus; & ille neutram admittit.

LXVIII. Quoniam itaque nulla hinc conuersio substantialis est, neque esse potest ut ostendimus; nulla quoque annihilatio aut translocatio, ut fatetur ipse: sequetur corpus & sanguinem hinc esse, sub vera substantia panis & vini nec conuersi, nec annihilati, nec translocati.

LXIX. Porro quod dicunt & dicere coguntur, accidentia panis remanere sine substantia & sine subiecto, cui inhaerent, ἀσύνευτον est, neque id vel diuinam virtute fieret. Implicat enim contradictionem accidens esse & non inesse. Quippe inesse est de essentia accidentis, quod ponitur in eius definitione, & per quod solum ab altera entis specie substantia distinguitur, & iuxta cuius alios atque alios modos ipsum vicissim accidens in suas species tribuitur.

LXX. Deinde negare non possunt, panem & vinum post benedictionem alia interdum atque alia accidentia suscipere, ut acorem, mucorem, venenosas qualitates; nam si fides habenda historijs, Henricus 7 Imp. & Victor 3 Papa per venenatam hostiam periere: Item comburi posse, exsiccari, putrescere, arrodiamuribus.

LXXI. Haec mutationes profecto requirunt subiectum. Et licet verum sit, quasdam qualitates inherere quantitati, verum tamen non est, ei sicut subiecto inherere, sed eam mediante suo vero subiecto substantiae inherere, ut colores parietis

rieti mediante superficie. Et hoc licet ipsum verum sit de coloribus, de alijs tamen accidentibus verum non est. Neq; enim quantitas susceptibilis est a coris, mucoris, combustionis, exsiccationis, neq; talis denominari potest. Huiusmodi igitur accidentia quantitatem pro subiecto vel æqui uoco & mediante habere non possunt. Requiritur itaq; verum & proprium.

LXXII. Hoc autem corpus & sanguis Christi sine blasphemiâ statui non potest. Panis itaq; erit & vinum. Panis igitur & vinum post benedictionem manent, non conuertuntur aut intereunt.

LXXIII. Occurrunt quidem dicendo, in huiusmodi mutationibus vt instante combustione, putrefactione subtrahi corpus & sanguinem, substitui panem & vinum. Sed vnde hoc probant? aut vbi verbum & promissio, tale quid fore? aut quomodo hæc conuersio fiat sine consecratione, quum prior fieri non potuerit? neq; enim in illâ minus miraculum, quàm in istâ. Si enim panis non perijt, sed verè in corpus fuit conuersus, congruum erit, vt hoc corpus in panem, qui antè fuit, iterum transformetur: sin perijt, aut de nouo panem creari oportebit, aut aliunde surreptum supponi.

LXXIV. Præterea dispositiones præcedunt introductionem formæ. Ita priusquam hostia putrefiat, priusquam calix acescat, præcedunt dispositiones ad putrefactionem & ad acorem. Eæ inchoantur, vt vult Bellarminus, manente Christi corpore. E. pro subiecto habebunt corpus Christi; aut si hoc non potest, aderit aliud subiectum, nimirum panis. Dispositiones enim tam requirunt subiectum, quàm ipsæ formæ, de quibus tamen non negat Bellarminus. Est enim dispositio ad putrefactionem, imperfecta quædam putrefactio.

LXXV. Et quod ait de substitutâ in instanti materiâ, in quam introducatur forma, mirum est quomodo forma inducatur

de Euch. lib
3. cap. 28.

catur in indispositam materiam. Neq; enim ipsa nondum
existens disponebatur. Aut igitur hic noua inchoabitur di-
spositio, quod falsum est; aut quod verum est, forma introdu-
ceretur in id quod iam dispositum erat, quodq; vt formæ intro-
ductæ ita etiam precedentium dispositionum germanum
subiectum fuisse necesse est, h. e. panem.

LXXVI. Magis adhuc mirum est, quomodo ad disposi-
tionem qualitatum, quæ formæ quædam sunt, sequatur in-
troducio materiæ. Quis vnquam fando hoc audiuit? Nam
contra ad dispositionem subiecti sequitur introducio for-
mæ; nequaquam dispositis formis supponitur subiectum.

LXXVII. Deniq; hoc mirissimum est, quæ fiat, quod Chri-
stus, qui sub panis & vini speciebus siue accidentibus (ponatur
ea sine subiecto subsistere & aliorum subiectum esse) præsen-
tissimus adest, suas istas species, sub quibus adest, ab alterati-
one vel corruptione non defendat. Aut non poterit; aut non
volet; aut falsum erit, quod Pontificij dicunt.

LXXVIII. Prius nemo pius adseret.

LXXIX. Sed nec alterum. Volet enim, quia dixit: Hoc
est corpus meum; horum autem verborum vi iuxta aduersa-
rios panis mutatur in corpus, ita vt non minus extra vsum ibi
sit corpus, quàm in vsum; atq; inde Eucharistia sit res perma-
nens. Vult itaq; in eâ suum corpus conseruare, etiam extra
vsum; aut si non vult, nec Eucharistiam Sacramentum perma-
nens & extra vsum esse vult. Ac si nolit, faciet contra digni-
tatem sui & sacramenti, quod scilicet ab agentibus natura-
libus hoc euacuetur, ipse expulsus cogatur discedere.

XXC. Tertium itaq; quod scriptura clamat & ratio
confirmat verum erit, nimirum panem benedictum essenti-
am suam non exuere, & extra vsum nihil esse nisi panem.

XXCI. Atq; ex his conspicuum est quæ monstra præter
implicationem contradictionis pariat Transsubstantiatio.

Quæ

Quæ quidem vna est ex præcipuis regni Pontificij columnis. Primo autem Ecclesiæ millenario prorsus ignorata; postmodum ab ociosis & curiosis ingenijs excogitata; quæstionibus, tamen vt probabilis, agitata, dein A. C. 1215. ab Innocentio III. in Lateranensi Concilio confirmata; à Constantiensi A. C. 1414. adprobata, à Tridentino A. C. 1551. die 11. Octob. *sess. 3. cap. 4. & can. 2.* inter articulos fidei telata & credenda sub anathemate denunciata.

XXCII. Et si verum fateri velint Pontificij, non habent aliud huius opinionis fundamentum, nisi istas suæ Ecclesiæ determinaciones. Bellarminus quidem pugnat, non seruari ^{1.3. de Euch. c. 19.} veritatem verborum Christi, nisi detur transubstantiatio: verum non potest ignorare hoc argumentum olim à Thomâ propositum fuisse, *3. Sum. quest. 75, art. 2 Et 5 cont. gentes c. 63. Et 4. dist. 11, q. 1.* atq; tum ab ipsis eius temporis Pontificijs doctoribus responsum esse. Negat Scotus verba illa transubstantiationem euincere, aut eam ante Lateranense Concilium dogma fidei fuisse. Negat Durandus quidquã istis verbis exprimi præter præsentiam & existentiam corporis Christi in sacramento. Ad argumentum autem Thomæ respondet, *ob id non necesse dicere, quòd substantia panis non remaneat: quia ex quo ponitur corpus Christi realiter esse in hoc sacramento, eo ipso potest reddi vera loquutio, vt non solum dicatur corpus Christi est hoc: sed dicatur, hoc, id est contentum sub hoc est corpus meum: quia indefinita verificatur pro vno solo. Nec oportet, quòd demonstraretur substantia panis, dato, quòd esset ibi: sicut non oportet, quòd fiat demonstratio specierum ibidem existentium.* Sic quoq; Thomas de ^{4. dist. 11. art. 2.} Argentina. *Iam dictam ait conclusionem teneo non propter aliquam rationem cogentem, sed propter sanctorum auctoritatem, & sanctæ matris ecclesiæ determinationem. Firmiter credimus ista decreta accepta de symbolo edito in Lateranensi concilio: in quo symbolo multe fidei veritates magis lucidè expresse sunt, quàm in sym-*

4. sent. q. 6. art. 2.
bolo Apostolorum & Niceni concilij, vel etiam Athanasii. Ad argumentum respondet: Si non obstante, quod remanet quantitas corporalis, quae est corpus de predicamento quantitatis, tamen seruetur veritas Scripturae, quae dicit in personam Christi: Hoc est corpus meum: sic nihil minus si ex ordinatione diuina maneret substantia panis, quae est corpus de predicamento substantiae, eadem veritas seruaretur. Adscribam quoque verba Occami: Dico, quod in altari est vera transsubstantiatio corporis Christi: sed hoc potest multis modis poni. Vno modo ponendo, quod remaneat ibi substantia panis, & cum hoc, quod corpus Christi coexistat substantiae illi. Alio modo, quod recedat substantia panis subito de illo loco ad alium locum, & remaneant accidentia, & sic coexistat corpus Christi. Tertio, quod redigatur in materiam vel per se stantem vel in aliam formam recipientem, & hoc siue in eodem siue in alio, & tunc illi materiae siue accidentibus coexistat corpus Christi. Quarto, quod substantia panis redigatur in nihil. Primus modus potest teneri, quia non repugnat rationi, neque alicui auctoritati Biblicae, & est rationabilior & facilius ad tenendum inter omnes modos, quia pauciora inconuenientia sequuntur ex eo, quam ex aliquo alio modo. Quod patet, quia inter omnia inconuenientia, quae ponuntur sequi ex isto sacramento maius est, quod accidens sit sine subiecto. Sed ponendo primum modum non oportet illud ponere. Igitur &c. Quia tamen determinatio ecclesiae in contrarium existit, sicut patet Decretal. de summa Trinitate & fide cap. Firmiter. & de celeb. miss. cap. cum Martha. & communiter omnes doctores tenent, quod ibi non remanet substantia panis, ideo etiam teneo, quod non remanet ibi substantia panis. Eadem ex Occamo repetit Cameracensis 4. sent. quest. 6. art. 2. E. F. Manifestum itaque dogma transsubstantiationis ex verbis Christi non euinci, tantis doctoribus adtestantibus, & ad Lateranense decretum referentibus, adeoque rem nouam esse liquido fatentibus. Vide quoque Gabrielem lect. 41. in Canon. Missae.

XXCIII. Postremò testimonium Gelasij, Pontificis Ro-
mani, contra Pontificios, qui hac auctoritate vnicè obstrin-
guntur, adduco. Ille lib. de duabus naturis, *Sacramenti*, in-
quit, *corporis & sanguinis Christi diuina res est; & tamen esse non*
desinit substantia vel natura panis & vini. Bellarminus negat ^{2. de Euch.}
hunc Gelasium esse eum qui Papa fuit. At semper is habitus ^{cap. 27.}
fuit; & ex eodem libro, tamquam Gelasij Pontificis, nonnul-
la decretis inserit Gratianus. Porrò per substantiam, ait, in-
telligere eum *naturam accidentium*; Gregorius de Valentia
proprietates panis & vini ab eo adpellatas esse substantiam pa-
nis & vini. Dicant ergò taurum, & intelligant passerem, & ^{Tom. 4. di-}
mulum adpellent, qui elephas sit. ^{sput. 6. q. 30}
^{pun. 30}

XXCIV. Dirutâ Transsubstantiatione sponte suâ corruunt
quæ præter & contra institutionem magno numero & molli-
mine superstruuntur.

XXCV. Nam quod fingitur Eucharistiam sacramentum
permanens, atq; etiam extra sumtionem corpus Christi
esse, primùm hoc fulcro destituitur.

XXCVI. Deinde est contra rationem sacramenti in ge-
nere, quod consistit in actione adplicante externum signum.

XXCVII. Tertio est contra rationem & institutionem
huius sacramenti, quod vt ex verbis manifestum est, in con-
tinuâ actione consistit; benedixit, fregit, dedit, dixit: Acci-
pite edite, h. e. c. m. Hoc facite, scilicet quod iam factum vi-
distis.

XXCIIIX. Quarto manifestè Paulus: *Panis, quem frangimus,* ^{1. Cor. 10. 17}
est communicatio corporis Christi. Non igitur ille, quem non
frangimus, siue quem non sumimus & comedimus.

XXCIX. Atq; hinc porrò iudicari poterit de asseruatio-
ne, circumgestatione & adhibitione ad alios vsus.

XC. De veneratione certum est, Christum vbicunq; lo-
corum in spiritu & veritate adorandum; præcipuè in tanto

mysterio corda sursum leuanda, Deo grates agenda, precesq;
fundenda, ne ad iudicium sed ad animæ salutem, sumamus.

XCI. Hostiam autem proponendam vt ad oretur contra
institutionem est. Et quoniam panis non exuit suam substan-
tiam, imò extra sumtionem nihil est nisi panis, nequaquã est
χειρολατρεία sed mera *ἀγτολατρεία*. Cauendum verò est, ne præ-
ter creatorem *ὡδὸ τὸν κτίσαντα* creaturas colamus. *Rom. 1, 25.*

XCII. Aliud sacrilegium commisit synodus Constanti-
ensis, quæ non obstante mandato Christi, laicis calicem dari
vetuit; quod idem fecit Tridentina, *quamuis* (vt ipsa loquitur)
redemptor noster in supremâ illa cænâ, hoc sacramentum in duabus
speciebus instituerit, & Apostolis tradiderit.

Gal. 3, 15.

XCIII. Verùm expendatur, *hominis confirmatum testamen-*
tum nemo spernit, aut superordinat; quid itaq; fiet illis, qui testa-
mentum filij Dei truncant?

XCIV. Quatuor scriptores, qui institutionem enarrant,
omnes ita narrant, vt materiam huius sacramenti panem
& vinum dicant. Qui igitur alterum subtrahit, næ ille essen-
tiam sacramenti oppugnat. Materia enim ad essentiam per-
tinet.

XCV. Porro essentia sacramenti, vt antè ostensum est, ab
institutione dependet. Institutum autem est non tantùm
in pane, sed & vino.

XCVI. Coniungitur immediatè distributio calicis cum
distributione panis per vocem *similiter*. Quibus igitur distri-
buendus panis, illis quoq; calix distribuatur; aut si hic subtra-
hatur, & ille eodem iure subtrahatur.

XCVII. Clarissima sunt verba, & quidem imperantia:
Bibite ex hoc omnes. Dicta fortè fuerunt tum temporis solis A-
postolis; quanquam quum Agnus Paschalis ab vniuersâ fami-
liâ solitus fuerit absumi, magis probabile quàm improbabile
est plures interfuisse. Apostoli tamen representabant omnes

fide-

fideles, aliàs neq; panis neq; vinum postillà ijs dari debu-
issent. Et quæ ad doctrinam & mores dicta spectant, non so-
lis Apostolis sed omnibus dicta sunt Christianis. Et subiun-
gitur: *Hic Calix N. T. est in m. s. q. p. v. e. in remissionem peccato-
rum.* Pro quibus igitur sanguis Christi effunditur, ijs quoq;
iuxta institutionem in sacramento huic fini destinato imper-
tiendus est.

XCIIX. Paulus certè præscribit Corinthijs quomodo le-
gitimè debeant administrare sacram synaxin. *Accepi à Domi-
no, quod & tradidi vobis.* Tradit autem sub vtraq; specie. Et re-
citata institutione subiungit: *Quotiescunq; manducabitis pa-
nem hunc & calicem bibetis.* Et in trinâ sublequenti adhuc re-
petitione vbiq; panem & calicem, manducare & bibere con-
iungit. Et quidem cap. præcedenti de calice manifestò: *Non
potestis calicem Domini bibere, & calicem Demoniorum.*

1. Cor. II, 22.

V. 20.

XCIX. Quod de concomitantia adferunt nihil ipsos iu-
uat. Quamquam enim concedamus, quòd vbi corpus ibi san-
guis, Christus tamen ita instituit, vt corpus sub pane ad mo-
dam cibi, vinum sub sanguine admodum potus sumatur.
Neq; nos Christo prudentiores esse conuenit. Quòd si per
huiusmodi ratiocinationes & consequentias institutionem
impugnare licet, quid causæ fuerit, quò minus totum sacra-
mentum aboleatur aut intermittatur. Nam per baptismum
totum certè Christum induimus, *Gal. 3, 27.* Per fidem habitat
in cordibus nostris, *Eph. 3, 17.* ita vt ipsius participes efficiamur.
Heb. 3, 14.

C. Verùm enim uerò saltus quoq; fit, quando introdu-
cuntur peregrina principia. Vernaculum est ipsa institutio,
cui insistendum.

CI. Sicut itaq; in comestione Agni paschalis (qui typus
fuit Eucharistiæ) institutioni oportebat adtendere; ita & hîc.
Et si non dictus fuisset Pascha iuxta mandatum Domini cele-
brasse

Ll 3

Handwritten notes in a cursive script, likely a library or archival stamp, partially obscured by the page's fold and the binding.



Exod. 12.

brasse qui licet Agnum comedisset, tamen igne tostum non comedisset, nec cum salsamentis, neq; accinctus, neq; calceatus, neq; tanquam abituriens; quantò minus Eucharistiam perceperit, qui calicem ad essentiam pertinentem non perceperit.

c. 6. v. 53.

CII. Porro clarissima sunt verba Christi apud Ioannem, quæ de hâc materiâ interpretantur aduersarij, neq; nos improbamus. *Dixit eis Iesus, Amen, Amen dico vobis, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habetis vitam in vobis.* Eodem planè modo, quo ante ad Nicodemum de baptismo protestatus fuerat: *Amen Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aquâ & spiritu, non potest introire in regnum Dei.*

c. 3. v. 5.

dist. 2. de
consecrat.

c. 12.

CIII. Demùm Pontificem, quem supra Pontificijs opponebamus, etiam nunc opponimus, & quidem decretum eius quod inter canones relatum fuit, vt manifestum fiat, hocce homines nec sacra scripturæ, nec sibi, nec suis, nec suo iuri consentire. Sic enim ait Gelasius: *Comperimus, quòd quidam sumtâ tantummodo corporis sacri portione à calice sacri cruoris abstineant. Qui procul dubio (quoniam nescio quâ superstitione docentur obstringi) aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia diuisio vnius eiusdemq; mysterij sine grandi sacrilegio non potest prouenire.* Generalis hæc, quâ concludit sententia, Bellarmini de Manichæis effugium planè excludit, vt frustrâ ille labore l. 4. de Euchar. c. 26. locum eludere. Nam si diuisio huius mysterij sine grandi sacrilegio non potest prouenire, ea certè non magis Catholicis quàm Manichæis vquam concessa fuerit, aut concedi poterit.

Haëtenus de Sacramentis disputatum esto: nunc ad doctrinam de Ecclesiâ, quæ per Verbum & Sacramenta colligitur & constituitur, explicandam adcingamur.

*Disp. 12. de Ecclia prædit
diuerte 92. folia.*


00 A 6446


ULB Halle 3
002 935 767


WMA

Retro ✓







17.
DISPUTATIONVM THEOLOGICARVM
VNDECIMA,
De
COENA DOMINI.

CVIVS THESESES
AVSPICE DEO OPT. MAX.

SVB PRAESIDIO
M. GEORGI CALIXTI
HOLSATI
IN ILLVSTRI ACAD.
IVLIA

VII. Kal. Sextil.

DEFENDET
ZACHARIAS VVEGENER
Beunenrodensis.



Helmaestadt Saxonum
Ex officinâ typographicâ IACOBI LVCII,

ANNO M. D.

cl̄o l̄o cXl.

